
LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

PRÆFATIO in qua interiorum humani corporis partium sedes ostenduntur. CAPUT I. Curationes singularum laborantium partium. SECT. I. Morborum capitinis remedia; 1°. cephalæ; 2°. morbi circa faciem; 3°. resolutionis linguae; 4°. destillationis; denique gravedinis. SECT. II. De cervicis morbis; 1°. remedia contra nervorum rigorem; 2°. contra anginam; 3°. contra difficultatem spirandi; 4°. contra faucium exulcerationem; 5°. contra tussim; 6°. contra sanguinis sputum. SECT. III. De stomachi morbis; 1°. varia remedia adversus stomachi æstum; 2°. inflationem; 3°. inflammationem; 4°. exulcerationem; 5°. pituitam; 6°. bilem; 7°. resolutionem. SECT. IV. De laterum doloribus. SECT. V. De viscerum morbis; 1°. de peripneumoniâ; 2°. de morbo epatico; 3°. de liénis morbo; 4°. de renum morbis. SECT. VI. De intestinorum morbis; 1°. de cholera; 2°. de cœliaco morbo; 3°. de tenuioris intestini morbo; 4°. de morbo plenioris intestini; 5°. de dysenteria seu torminibus; 6°. de lienteria seu levitate intestinorum; 7°. de lumbricis; 8°. de tenesmo; 9°. de ventris fluxu. SECT. VII. De morbis uteri. Hic lacuna est; 1°. de morbo hysterico; 2°. quâ vulva exulcerata curetur; 3°. de vesicæ doloribus; 4°. de urinæ nimia profusione; 5°. de nimia seminis profusione. SECT. VIII. De extremarum

*extremarum partium morbis ; 1º. de morbis co-
xarum ; 2º. genuum ; 3º. manuum, pedum articulo-
rumque. CAP. II. De refectione convalescentium.*

P R A E F A T I O.

HACTENUS reperiuntur ea genera morborum ,
quæ in totis corporibus ita sunt , ut iis certæ se-
des assignari non possint ; nunc de his dicam quæ
sunt in partibus. Facilius autem omnium interio-
rum morbi curationesque in notitiam venient ,
si prius eorum sedes breviter ostendero.

Caput igitur eaque quæ in ore sunt , non lin-
guâ tantum modò palatoque terminantur , sed
etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. In dex-
trâ sinistrâque circa guttur *venæ* grandes quæ
~~σφυγίτιδες~~ nominantur ; itemque *arteriæ* quas
~~υαπωρίδες~~ vocant , sursum procedentes ultra aures
feruntur. Atque in ipsis cervicibus *glandulæ* positæ
sunt , quæ interdum cum dolore intumescunt.

Deinde duo itinera incipiunt : alterum *asperam*
arteriam nominant , alterum *stomachum*. *Arteria*
exterior ad pulmōnem , *stomachus* interior ad ven-
triculum fertur : illa spiritum , hic cibum recipit.
Quibus quum diversæ viæ sint , quæ coëunt , exi-
guæ in arteriâ sub ipsis fauibus *Lingula* est , quæ ,
quum spiramus , attollitur ; quum cibum potio-
nemque assumimus , arteriam claudit.

Ipsa autem *arteria* dura & cartilaginea : in
guttur affurgit , cæteris partibus residit. Constat
ex circulis quibusdam , compositis ad imaginem

carum vertebrarum quæ in spinâ sunt , ita tamen ut ex parte exteriore aspera , ex interiore , stoma-
chi modo , lævis sit : eaque descendens ad præcor-
dia cum pulmōne committitur . Is spongiosus ;
ideoque spiritūs capax , & a tergo spinæ ipsi jun-
ctus : in duas fibras ungulæ bubulæ modo dividi-
tur . Huic cor annexum est , naturâ musculosum ,
in pectore sub sinistrore mammâ situm ; durosque
quasi ventriculos habet .

At sub corde atque pulmōne transversum ex va-
lidâ membranâ septum est , quod a præcordiis
uterum diducit , idque nervosum , multis etiam
venis per id discurrentibus : a superiore parte non
solùm intestina , sed jecur quoque liuenque dis-
cernit . Hæc viscera proximè , sed infra tamen
posita dextrâ sinistrâque sunt .

Jecur a dextra parte sub præcordiis ab ipso septo
orsum , intrinsecus cavum , extrinsecus gibberum
est : quod prominens leviter ventriculo insidet ,
& in quattuor fibras dividitur : ex inferiore verò
parte ei fel inhæret .

At liénis in sinistrâ , non eidem septo , sed in-
testino annexus est : naturâ mollis & rarus , lon-
gitudinis crassitudinisque modicæ ; isque paullum
a costarum regione in uterum excédens , & ma-
ximâ parte sub his conditur : atque hæc quidem
juncta sunt .

Renes verò diversi , qui lumbis sub imis coxis
inhærent , a parte earum rotundi , ab alterâ resimi ;
qui & venosi sunt , & ventriculos habent , &
tunicis super continguntur . Ac viscerum quidem
hæ sedes sunt .

Stomachus verò , qui intestinorum principium , est nervosus : a septimâ spinæ vertebrâ incipit , ac circa præcordia cum ventriculo committitur.

Ventriculus autem qui receptaculum cibi est , constat ex duobus tergoribus : isque inter lienem & jecur positus est , utroque ex his paullum super eum ingrediente : suntque etiam membranulæ tenues , per quas inter se tria ista connectuntur , jungunturque ei septo quod transversum esse supra posui.

Inde *ima* ventriculi pars paullum in dexterio-rem partem conversa , in summum intestinum coarctatur. Hanc juncturam *αυλαφόν* Græci vocant , quoniam , portæ modo , in inferiores partes ea quæ excreturi sumus , emittit.

Ab ea *jejunum* intestinum incipit , non ita implicitum : cui tale vocabulum est , quia numquam quod accépit , continet ; sed protinus in inferiores partes transmittrit. Inde *tenuius* intestinum est , in sinus vehementer implicitum : *orbes* verò ejus per membranulas singuli cum interioribus connectuntur ; qui in dexteriore partem conversi , & e regione dexterioris coxæ finiti , superiores tamen partes magis complent. Deinde id *intestinum* cum crassiore altero transverso committitur ; quod a dextrâ parte incipiens , in sinistriorem pervium & longum est , in dexteriore non est ; ideoque *cæcum* nominatur.

At id quod pervium est , latè fusum atque sinuatum , minusque quam superiora intestina nervosum , ab utrâque parte huc atque illuc volutum , magis tamen sinistriores inferioresque partes te-

H ij

nens, contingit jecur atque ventriculum : deinde cum quibusdam membranulis a sinistro rene ventientibus jungitur ; atque hinc ad dextra recurvatum in ima dirigitur , quā excernit : ideoque id ī hī rectū intestīnum nominatur. Contegit verò universa hēc omentum , ex inferiore parte lāve & adūctum , ex superiorē mollius : cui adeps quoque innascitur , quā sensu , sicut cerebrum quoque & medulla , careret.

At a renibus singulae vēnae , colore albāe , ad vēscam feruntur ; εφυτῆπας Græci vocant , quod per eas inde descendētē urīnam in vēscam deſtillare concipiunt. Vēsica autem in ipso ſinu nervosa & duplex , cervīce plena atque carnosa , jungitur per venas cum intestīno eoque offē quod pubi ſubest. Ipsa ſoluta atque liberior est ; aliter in viris atque in feminis pēſita : nam in viris juxta rectū intestīnum eſt , potius in ſinistrā partē inclinata ; in feminis ſuper genitale earum poſita eſt , &c , ſupernē lapsa ab ipsā vulvā ſuſtinetur. Tum in masculis iter urīnāe ſpatiosius & compressius a cervīce hujus deſcendit ad colem : in feminis breuius & plenius , ſuper vulvā cervīcem ſe oſtendit.

Vulva autem in virginib⁹ quidem admodum exigua eſt : in mulierib⁹ verò , niſi ubi gravidae ſunt , non multo major quām ut manu comprehendatur. Ea , rectā continuatāque cervīce quem canalem vocant , contra medianam alvum orſa , inde paullum ad dexteriorem coxam convertitur ; deinde ſuper rectū intestīnum progreſſa , illiſ femināe latera ſua innectit. Ipsa autem ilia inter coxas & pubem imo ventre poſita ſunt. A qui-

bus ac pube *abdōmen* sursum versūs ad præcordia pervenit ; ab exteriore parte evidenti cute , ab int̄eriore lævi membranā inclusum , quæ omento jungitur ; *αεριτόναι* autem a Græcis nominatur .

CAPUT PRIMUM.

SECT. I. His veluti in conspectum quemdam , quatenus scire curanti necessarium est , adductis , remedia singularum laborantium partium exsequar , orsus a capite : sub quo nomine nunc significo eam partem , quæ capillis tegitur : nam oculorum , aurium , dentium dolor , & si quis similis est , alias erit explicandus .

1°. In capite autem interdum acutus & pestifer morbus est , quam *κεφαλαια* Græci vocant : cuius notæ sunt horror calidus , nervorum resolutio , oculorum caligo , mentis alienatio , vomitus , sic ut vox supprimatur ; vel sanguinis ex naribus cursus , sic ut corpus frigescat , anima deficiat : præter hæc , dolor intolerabilis , maximè circa tempora vel occipitum . Interdum autem in capite longa imbecillitas , sed neque gravis neque periculosa , per hominis ætatem est : interdum gravior dolor , sed brevis , neque tamen mortiferus ; qui vel vino , vel cruditate , vel frigore , vel igne aut sole contrahitur . Hique omnes dolores modò cum febre modò sine hac sunt : modò in toto capite ; interdum sic ut oris quoque proximam partem excrucient . Præter hæc etiam inveniuntur genus , quod potest longum esse : ubi humor cutem inflat ,

eaque intumescit , & prementi digito cedit : ὑδρία
κίραλον Græci appellant.

Ex his id quod secundo loco positum est , dum leve est , quâ sit ratione curandum , dixi , quum persequerer ea quæ sani homines in imbecillitate partis alicujus facere debérent . Quæ verò auxilia sint capit is , ubi cum febre dolor est , eo loco explicitum est , quo febrium curatio exposita est .

Nunc de cæteris dicendum est . Ex quibus id quod acutum est , idque quod supra consuetudinem intenditur , idque quod ex subità caussâ , etsi non pestiferum , tamen vehemens est , primam curationem habet , quâ sanguis mittatur . Sed id , nisi intolerabilis est dolor , supervacuum est : satiusque est abstinere a cibo , si fieri potest etiam a potionē ; si non potest , aquam bibere . Si postero die dolor remanet , alvum ducere , sternumenta evocare , nihil assumere nisi aquam . Sæpe enim dies unus aut alter totum dolorem hac ratione discutit , utique si ex vino vel cruditate origo est .

Si verò in his auxilii parum est , tondere oportet ad cutem : deinde considerandum est , quæ caussa dolorem excitavit . Si calor , aquâ frigidâ multâ perfundere caput expedit ; spongiam concavam imponere , subinde aquâ frigidâ expressam ; ungere rosâ & aceto , vel potius his tintam lanam succidam imponere , aliave refrigerantia cataplasma . At si frigus nocuit , caput oportet perfundere aquâ calidâ marinâ , vel certè salsa , aut in qua laurus decocta sit ; tum caput vehementer perficere ; deinde calido oleo implere & veste

velare. Quidam etiam id devinciunt: alii cervi calibus vestimentisque onerant, & sic levantur: alios calida cataplasmata adjuvant. Ergo etiam, ubi caussa incognita est, videte oportet, refrigerantia magis an calefacientia leniant, & his ut quæ experimentum approbat. At si parum caussa discernitur, perfundere caput, primum aquâ calidâ, sicut supra præceptum est, vel salsâ, vel ex lauro decoctâ, tum frigidâ poscâ.

Illa in omni vetusto capitidis dolore communia sunt: sternutamenta excitare, inferiores partes vehementer perfricare, gargarizare his quæ salivam movent, cucurbitulas temporibus & occipitio admovere, sanguinem ex naribus detrahere, resinâ subinde tempora pervellere, & imposito sinâpi exulcerare ea quæ malè habent, ante linteolo subjecto, ne vehementer erodat; candentibus ferramentis, ubi dolor est, ulcera excitare, cibum semper modicum cum aqua sumere: ubi levatus est dolor, in balneum ire: ibi multâ aquâ prius calidâ, deinde frigidâ per caput perfundi. Si discussus ex toto dolor est, etiam ad vinum reverti; sed postea semper, ante quam quicquam aliud, aquam bibere.

Dissimile est id genus quod humorem in caput contrahit: ita hoc tonderi ad cutem necessarium est: deinde imponere sinâpi sic ut exulceret: si id parum profuit, scalpello utendum est. Illa cum hydropicis communia sunt, ut exerceatur, insudet, vehementer perfricitur, cibis potionibusque utatur urinam præcipue moventibus.

2º. Circa faciem verò morbus innascitur, quem

H iv

Græci κυριοὶ σπασμὸν nominant. Is cum acutâ ferè febre oritur : os cum riſtu quodam pervertitur, idēque nihil aliud est quàm distortio oris. Accedit crebra coloris in facie totoque corpore mutatio : somnus in promtu est.

In hoc sanguinem mittere optimum est. Si fînum eo malum non est, ducere alvum : si ne sic quidem discussum est, albo veratro vomitum movere : præter hæc necessarium est vitare solem, lassitudinem, vinum. Si discussum his non est, utendum est cursu & frictione in eo quod læsuni est leni & multa ; in reliquis partibus breviore sed vehementi. Prodest etiam movere sternumenta, caput radere, idque perfundere aquâ calidâ, vel marinâ, vel certè salsa, sic ut ei quoque sulfur adjiciatur : post perfusionem iterum perficere, sinâpi manducare ; eodemque tempore affectis oris partibus ceratum, integris item sinâpi, donec erodat, imponere. Cibus aptissimus ex mediâ materiâ est.

3°. At si lingua resoluta est, quod interdum ex morbo aliquo fit, sic ut sermo hominis non explicetur : oportet gargarizare ex aqua in qua vel thymum, vel hyssopum, vel nepeta decocta sit ; aquam bibere ; caput & os & ea quæ sub mento sunt, & cervicem vehementer perficere ; lasere linguam ipsam linere ; manducare quæ sunt acerima, id est sinâpi, allium, cepam ; magnâ vi luctari ut verba exprimantur, exerceri retento spiritu, caput sæpe aquâ frigidâ perfundere, non numquam multam esse radiculam, deinde vomere.

4°. Destillat autem humor de capite interdum

in nares , quod lene est ; interdum in fauces quod
pejus est ; interdum etiam in pulmonem , quod
pestimum est . Si in nares destillaverit , tenuis per
has pituita profluit , caput leniter dolet , gravitas
in eo sentitur , frequentia sternutamenta sunt : si
in fauces , has exasperat , tussiculam movet : si in
pulmonem , præter sternutamenta & tussim , est
etiam capitis gravitas , lassitudo , sitis , æstus , bi-
liosa urina .

Aliud autem , quamvis non multum distans ,
malum gravido est . Hæc nares claudit , vocem
obtundit , tussim siccum movet : sub eadem verò
salsa est saliva , sonant aures , venæ moventur
in capite , turbida urina est . Hæc omnia *κορύζεις*
Hippocrates nominat : nunc video apud Græcos
in gravedine hoc nomen servari : destillationes
κατασαγμὲς appellari . Hæc autem brevia ; sed ,
si neglecta sunt , longa esse consuérunt .

Nihil pestiferum est , nisi quod pulmonem exul-
cerat . Ubi aliquid ejus modi sentimus , protinus
abstinere a sole , balneo , vino , venere debemus :
inter quæ unctione & assueto cibo nihilo minus
uti licet . Ambulatione tantum non acri , sed rectâ
utendum est , & post eam caput atque os supra
quinquagies perfricandum : raróque fit ut , si bi-
duo vel certè triduo nobis temperavimus , id vi-
tium non levetur . Quo levato , si in destillatione
crassa facta pituita est , vel in gravedine nares
magis patent , balneo utendum est , multaque aquâ
priùs calidâ , post egelidâ , fovendum os caput-
que ; deinde cum cibo pleniore vinum bibendum .
At si æquè tenuis die quarto pituita est , vel nares

H v

æquè clausæ videntur , assumendum est vinum aminæum austèrum ; deinde rursus biduo aqua : post quæ ad balneum & ad consuetudinem rever- tendum est.

Neque tamen illis ipsis diebus , quibus aliqua ex consuetis omittenda sunt , expedit tamquam ægros agere ; sed cætera omnia quasi sanis facien- da sunt , præter quæm si diutius aliquem & ve- hementius ista sollicitare consuerunt : huic enim quædam curiosior observatio necessaria est.

Igitur huic , si in nares vel in fauces destillavit , præter ea quæ supra retuli , protinus primis diebus multum ambulandum est , perfricandæ vehementer inferiores partes , levior frictio adhibenda thoraci erit , levior capiti , demenda assueto cibo pars dimidia , sumenda ova , amyllum similiaque , quæ pituitam faciunt crassiorem : siti , quanta maxima sustineri potest , pugnandum est . Ubi per hæc idoneus aliquis balneo factus , coque usus est , adjiciendus est cibo pisciculus aut caro ; sic tamen , ne protinus justus modus cibi sumatur : vino- meraco copiosius utendum est.

At si in pulmonem quoque destillat , multo magis & ambulatione & frictione opus est , eademque adhibitâ ratione in cibi . Si non satis illa proficiunt , acrioribus utendum est , magis somno indulgendum , abstinentiumque a negotiis omnibus : aliquando , sed seriùs , balneum tentandum.

In gravedine autem , primo die quiescere , ne- que esse neque bibere , caput velare , fauces lanâ circumdare : postero die surgere , diu abstinere a potione , aut si res coegerit , non ultra heminam

aquaē assumere : tertio die panis non ita multum ex parte interiore cum pīsciculo vel levi carne sumere , aquam bibere. Si quis sibi temperare non potuerit , quo minus pleniore viētu utatur , vomere : ubi in balneum ventum est , multā aquā calidā caput & os fōvēre usque ad sudorem , tum ad vinum redire. Post quæ vix fieri potest ut idem incommodum maneat : sed si manserit , utendum erit cibis frigidis , aridis , levibus , humore quām minimo ; servatis frictionibus exercitationibusque , quæ in omni tali genere valetudinis necessariæ sunt.

SECT. II. A Capite transitus ad cervicem est , quæ gravibus admodum morbis obnoxia est.

1°. Neque tamen alias importunior acutiorque morbus est , quām is qui quodam rigore nervorum modò caput scapulis , modò mentum pectori adnēctit , modò rectam & immobilem cervicem intendit. Primum Græci ὅπιδότορον , sequentem ἡμι-προδότορον , ultimum τέταρτον appellant : quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. Ea sāpe INTRA QUARTUM diem tollunt : si hunc evaserunt , sine periculo sunt.

Eādem omnia ratione curantur ; idque convepit. Sed Asclepiades utique mittendum sanguinem credidit : quod quidam vitandum esse dixerunt , eo quod maximè tūm corpus calore eḡeret , isque esset in sanguine venarum. Hoc quidem falsum est : neque enim Natura sanguinis est ut utique calet ; sed ex his quæ in homine sunt , hic celerrimè vel calecit vel refrigescit. Mitti vero necne debeat , ex his intelligi potest , quæ

de sanguinis missione præcepta sunt. Utique autem rectè datur castoreum, & cum hoc piper vel laser deinde opus est fomento humido & calido. Itaque plerique aquâ calidâ multâ cervices subinde perfundunt. Id in præsentia allevat; sed opportuiores nervos frigori reddit; quod utique vitandum est.

Utilius igitur est, cerato liquido primùm cervicem perungere; deinde admovere vesicas bululas vel utriculos oleo calido repletos, vel ex farinâ calidum cataplasmata, vel piper rotundum cum ficu contusum. Utilissimum tamen est, humido sale fovere: quod quomodo fieret, jam ostendi. Ubi eorum aliquid factum est, admovere ad ignem, vel si æstas est, in sole ægrum oportet; maximèque oleo vetere; si id non est, Syriaco; si ne id quidem est, adipe quâm vetustissimâ cervicem & scapulas & spinam perficare.

Frictio quum omnibus in homine vertebris utilis sit, tum iis præcipue quæ in collo sunt. Ergo die nocteque, interpositis tamen quibusdam temporibus, hoc remedio utendum est. Dum id intermittitur, imponendum malagma aliquod ex calefacentibus. Cavendum verò est præcipue frigus: ideoque in eo conclavi in quo cubabit æger, ignis continuus esse debet, maximusque tempore antelucano quo præcipue frigus intenditur. Neque inutile erit caput attonsum habere, idque irino vel cyprino calido madefacere, & superimposito pileo velare; non numquam etiam in calidum oleum totum descendere, vel in aquam calidam in qua fenum græcum decoctum sit, & adjecta

olei pars tertia. Alvus quoque ducta s^epe superiores partes resolvit.

Si verò etiam vehementius dolor crevit, admovendae cervicibus cucurbitulæ sunt, sic ut cutis incidatur: eadem aut ferramentis aut sinápi adurenda. Ubi levatus est dolor moverique cervix cœpit; scire licet cedere remediis morbum: sed diu vitandus cibus, quisquis mandendus est. Sorbitionibus utendum, itemque ovis sorbilibus, aut hapanlis mollibusve, jus aliquod assumendum. Id si bene processerit, jamque ex toto recte se habere cervices videbuntur, incipiendum erit a pulticula vel intritâ bene madidâ. Celerius tamen etiam panis mandendus quam vinum gustandum; si quidem hujus usus præcipue periculosus, ideoque in longum tempus differendus est.

2º. Ut hoc autem morbi genus circa totam cervicem, sic alterum æquè pestiferum acutumque in faucibus esse consuēvit. Nostri anginam vocant: apud Græcos nomen prout species est: interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet; sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur: id συναγκήν vocant. Interdum lingua faucesque cum rubore intumescent, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallidusque est: ὡς συναγκήν vocatur.

Illa communia sunt; æger non cibum devorare non potionem potest: spiritus ejus includitur. LEVIUS est, ubi tumor tantum modò & rubor est, cetera non sequuntur: id πατασυνάγκην appellant.

Quicquid est, si vires patiuntur, sanguis mitendus est, etsi non abundat: secundum eff.

ducere alvum. Cucurbitula quoque rectè sub mento & circa fauces admoverur , ut id quod strangulat , evocet. Opus est deinde fomentis humidis : nam sicca spiritum clidunt. Ergo admovere spongias oportet , quæ melius in calidum oleum quam in calidam aquam subinde dimittuntur : efficacissimusque est hic quoque salis calidi succus. Tum commodum est , hyssopum vel nepetam vel thymum vel absinthium , vel etiam furfures aut ficus aridas cum mulsa aqua decoquere , eaque gargantizare : post hæc palatum ungere vel felle taurino , vel eo medicamento quod ex moris est. Polline etiam piperis id rectè respergitur.

Si per hæc parum proficitur , ultimum est incidere satis altis plagis sub ipsis maxillis supra collum , vel in palato circa uvam , vel eas venas quæ sub lingua sunt , ut per ea vulnera morbus erumpat. Quibus si non fuerit æger adjutus , scire licet a malo viatum esse. Si yerò his morbus levatus est , jamque fauces & cibum & potum capiunt , facilis ad bonam valetudinem recursus est. Atque interdum NATURA quoque adjuvat , si ex angustiore sede virium transit in latiorem : itaque rubore & tumore in præcordiis orto , scire licet fauces liberari.

Quicquid autem eas levârit , incipiendum est ab humidis , maximèque aquâ mulsa decoctâ : deinde assuendi molles & non acres cibi sunt , donec fauces ad pristinum habitum revertantur.

Vulgò audio , si quis pullum hirundinînum ederit , anginâ toto anno non periclitari ; servatumque ~~rum~~ ex sale , quum is morbus urget , comburi ,

carbonemque ejus contritum in aquam mulsam
quæ potui detur, infriari & prodefe. Id quum
idoneos auctores ex populo habeat, neque habere
quicquam periculi possit, quamvis in monumentis
medicorum non legerim, tamen inserendum huic
operi meo credidi.

3°. Est etiam circa fauces malum, quod apud
Græcos aliud atque aliud nomen habet, prout
se intendit. Omne in difficultate spirandi consi-
stit: sed hæc dum modica est, neque ex toto
strangulat, *δυσπνεια* appellatur; quum vehemen-
tior est, ut spirare æger sine sono & anhela-
tione non possit, *ἀθμη*; quum accessit id quoque,
ne nisi rectâ cervice spiritus trahatur, *ορθόπνεια*.
Ex quibus id quod primum est, potest diu ali-
quem trahere: duo insequentia acuta esse consue-
runt. His communia sunt; quèd propter angu-
stias per quas spiritus evadit, sibilum elidit: do-
lor in pectori præcordiisque est, interdum etiam
in scapulis; isque modò revertitur: ad hæc tussi-
cula accèdit.

Auxilium verò est, nisi aliquid prohibet, in
sanguinis detractione. Neque id satis est, sed lac-
caprinum calidum jejuno dandum, &c, si non
febris, venter solvendus est: liquanda alyus, in-
terdum etiam ducenda: quibus extenuatum cor-
pus incipit spiritum trahere commodius. Caput
autem etiam in lecto sublime habendum est: tho-
rax fomentis cataplasmatisque calidis aut siccis,
aut etiam humidis, adjuvandus est; & postea
malagma superimponendum, vel ceratum ex cy-
prino vel irino unguento. Sumenda deinde jejuno.

in potum mulsa aqua cumi qua vel hyssopus coctus vel contrita capparis radix sit. Datur etiam utiliter aut nitrum aut nasturtium aut frictum allium; deinde contritum & cum melle mixtum: simulque coquuntur mel, galbanum, resina terebinthina: ea autem ubi coerunt, ex his quod fabae magnitudinem habet, quotidie sub linguâ liquatur: aut sulfuris ignem non experti pondo & quadrans, abrotani pondo denarii in vini cyatho teruntur, idque tepefactum sorbetur.

Est etiam non vana opinio vulpinum jecur, ubi siccum & aridum factum est, contundi oportere, polentamque ex eo potionis adspergi; vel ejusdem pulmonem quam recentissimum assūm, sed sine ferro coctum, edendum esse. Præter haec, sorbitonibus & lenibus cibis utendum est, interdum vino tenui austero, non numquam vomitu. Prosunt etiam, quæcumque urinam augent; sed nihil magis quam ambulatio lenta pæne usque ad lassitudinem; frictio multa præcipue inferiorum partium, vel in sole vel ad ignem, & per scipsum & per alios, usque ad sudorem.

4°. In interiore verò faucium parte interdum exulceratio esse consuēvit. In hac plerique extrinsecus cataplasmatis calidis fomentisque humidis utuntur. Volunt etiam vaporem calidum ore recipi, per quem molliores alii partes eas fieri dicunt, opportunioresque vitio jam harenti. Sed si bene sic vitari frigus potest, tuta illa præsidia; si meatus ejus est, supervacua sunt. Utique autem perficere fauces periculosum est; exulcerat enim: neque utilia sunt quæ urinæ movenda sunt apta;

quia possunt , dum transeunt , ibi quoque pituitam extenuare , quam supprimi melius est.

Asclepiades multarum rerum quas ipsi quoque secuti sumus , auctor bonus , acetum ait quam acerrimum esse sorbendum ; hoc enim sine ulla noxa comprimi ulcera . Sed id suppressore sanguinem potest , ulcera ipsa sanare non potest . Melius huic rei licium est ; quod idem quoque aequè probat : vel porri vel marrubii succus , vel nuces Græcae cum tragacantho contritæ & cum passumistæ , vel lini semen contritum & cum dulci vino mixtum . Exercitatio quoque ambulandi currerinde necessaria est : frictio a pectore vehemens toti inferiori parti adhibenda .

Cibi verò esse debent neque nimium acres , neque asperi ; mel , lenticula , tragum , lac , ptisana , pinguis caro , præcipueque porrum & quicquid cum hoc mixtum est . Potionis quam minimum esse convenit : aqua dari potest vel pura , vel in qua malum cotoneum palmulæve decoctæ sunt . Gargarizationes quoque lenes : sin hæ parum proficiunt , reprimentes utiles sunt .

Hoc genus neque acutum est , & potest esse non longum : curationem tamen maturam , ne vehementer & diu laedat , desiderat .

5° . Tussis verò ferè propter faucium exulcerationem molesta est ; quaer multis modis contrahitur . Itaque illis restitutis , ipsa finitur : solet tamen interdum per se quoque male habere , & vix , quem vetus facta est , eliditur : ac modò arida est , modò pituitam citat .

Oportet autem hyssopum altero quoque die

bibere : spiritu retento currere , sed minimè in pulvere : ac lectione uti vehementi quæ primò impeditur a tussi , post eam vincit : tum ambulare , deinde per manus quoque exerceri , & pe-
tus diu perficari : post hæc quām pinguissimæ focus uncias tres super prunam incoctas esse.

Præter hæc , si humida tussis est , prosunt frictio-
nes validæ cum quibusdam calefacientibus , sic ut
caput quoque simul vehementer perficitur : item
eucurbitulæ pectori admotæ , sinäpi ex parte ex-
teriori fauibus impositum , donec leviter exulce-
ret ; potio ex mentha nucibusque Græcis & amy-
lo ; primoque assumptus panis aridus , deinde ali-
quis cibus lenis.

At si sicca tussis est , quum ea vehementissime
urget , adjuvat vini austéri cyathus assumptus ; dum-
ne amplius id , interposito tempore aliquo , quām
ter aut quater fiat : item laseris quām optimi paul-
lulum devorare opus est ; porri vel marrubii suc-
cum assumere ; scillam delingere ; acētum ex ea ,
vel certè acre sorbère , aut cum spica allii con-
triti duos vini cyathos.

Utilis etiam in omni tussi est peregrinatio , na-
vigatio longa , loca maritima , natationes : cibus
interdum mollis , ut malva , urtica ; interdum
acer , ut lac cum allio coctum : sorbitiones quibus
laser sit adjectum , aut in quibus porrumb incoctum
tabuerit . Ovum quoque sorbile sulfure adjecto , sor-
beatur . In potum verò primùm aqua calida , dein-
de in vicem aliis diebus hæc , aliis verò vinum .

6°. Magisterri potest aliquis , quum sanguinem
expuit ; sed id modò minus , modò plus periculi

habet. Exit enim modò ex gingivis , modò ex ore ; & quidem ex hoc interdum etiam copiosè , sed sine tussi , sine ulcere , sine gingivarum ullovitio , ita ut nihil exscreetur. Verùm ut ex natibus , sic ex ore aliquando prorumpit sanguis : atque interdum profluit , interdum simile aquæ quiddam in qua caro recens lora est : nonnumquam autem is a summis faucibus fertur , modò exulceratà eà parte , modò non exulceratà ; sed aut ore venæ alicujus adaperto , aut tuberculis quibusdam natis , ex hisque sanguine erumpente. Quod ubi incidit , neque lœdit potio aut cibus , neque quicquam ut ex ulcere exscreatur.

Aliquando verò , gutture & arteriis exulceratis , frequens tussis sanguinem quoque extrudit : interdum etiam fieri solet , ut aut ex pulmone , aut ex pectori , aut ex latere , aut ex jocinore feratur. Sæpe feminæ quibus sanguis per menstrua non responderet , hunc expuunt : veteresque medici ferunt , vel exesa parte aliquâ sanguinem exire vel ruptâ , vel ore alicujus venæ patefacto. Primam diaέφασιν , secundam ἐπημοχασμὸν , tertiam ἀγεσίαστην appellant. Ultima minimè nocet , prima gravissimè : ac SÆPE quidem EVENIT ut sanguinem pus sequatur.

Interdum autem qui sanguinem ipsum suppressit , satis ad valetudinem profuit : sed si secuta ulcera sunt , si pus , si tussis est , prout sedes ipsa est , ita varia & periculosa genera morborum sunt. Si verò sanguis tantum fluit , expeditius & remedium & finis est.

Neque ignorari oportet , EIS QUIBUS fluere

sanguis solet , aut quibus spina dolet coxæve , atque post cursum vehementem vel ambulationem , durum febris absit , non esse inutile sanguinis mediocre profluvium ; idque per urinam redditum ipsam quoque lassitudinem solvere : ac ne in eo quidem terribile esse , qui ex superiore loco decidit : si tamen in ejus urinâ nihil aliud novavit : neque vomitum hujus afferre periculum , etiam quum repetit , si ante confirmare & implere corpus licuit : & ex toto nullum nocere , qui in corpore robusto neque nimius est , neque tussim au calorem movet. Hæc pertinent ad universum : nunc ad ea loca quæ proposui , veniam.

Si ex gingivis exit , portulacam manducaſſe satis est : si ex ore , continuiffe eo merum vinum ; si id parum proficit , acētum. Si inter hæc quoque graviter erumpit , quia consumere hominem potest , commodiſſimum est impetum ejus , admotâ occipitio cucurbitulâ sic ut cutis quoque incidatur , avertere. Si id mulieri cui menstrua non feruntur , evenit , eamdem cucurbitulam , incísis inguinibus ejus , admovêre.

At si ex faucibus interioribusve partibus processit ; & metus major est , & cura major adhibenda. Sanguis mittendus est : & si nihilo minus ex ore processit , iterum tertioque , & quotidie paullum aliquid : protinus autem debet sorbêre vel acētum , vel etiam cum ture plantaginis aut porri succum , imponendaque extrinsecus supra id quod dolet , lana succida ex acēto est ; & id spongiâ subinde refrigerandum. Erasistratus horum crura quoque & femora brachiaque pluribus

Locis deligabat : id Asclepiades adeò non prodesse , ut etiam iniñicum esset , proposuit . Sed id sàpè commodè respondere experimenta testantur .

Neque tamen pluribus locis deligari necesse est ; sed sat est infra inguina & super talos summosque humeros , etiam brachia . Tum si febris urget , danda est sorbitio ; & potui aqua in qua aliquid ex his quæ alvum adstringunt , decoctum sit . At si abeat febris , vel elota alica , vel panis ex aquâ frigidâ , & molle quoque ovum dari potest : potui vel idem quod supra scriptum est , vel vinum dulce , vel aqua frigida : sed sic bibendum erit , ut sciamus huic morbo sitim prodesse .

Præter hæc necessaria sunt quies , securitas , silentium . Caput hujus quoque cubantis sublimè esse debet , recteque tondetur : facies sàpè aquâ frigidâ fovenda est . At iniñica sunt vinum , balneum , venus , in cibo oleum , acriora omnia , item calida fomenta , conclave calidum & inclusum , multa vestimenta corpori injecta : etiam frictiones , nisi ubi bene sanguis jam conquievit . Tum verò incipiendum est a brachiis cruribusque ; a thorace abstinentium . In hoc casu per hiemem locis maritimis , per æstatem mediterraneis opus est .

SECT. III. Faucibus subest stomachus ; in quo plura & longa vitia incidere consuerunt . Nam modò hunc ingens calor , modò inflatio , modò inflammatio , modò exulceratio afficit : interdum pituita , interdum bilis oritur : frequentissimumque est ejus malum , quo resolvitur : neque ulla res magis aut corpus afficit . Ut diversa autem vitia ejus , sic etiam remedia sunt .

1º. Ubi exæstuat , aceto cum rosa extrinsecus subinde fovendus est , imponendusque pulvis cum oleo , & ea cataplasma quæ simul & reprimunt & molliunt. Potui , nisi quid obstat , egelida aqua præstanta.

2º. Si inflatio est , prosunt admotæ cucurbitulæ ; neque incidere cutem necesse est : prosunt sicca & calida fomenta , sed non vehementissima. Interponenda abstinentia est : utilis in jejunio potio est absinthii aut hyssopi aut rutæ. Exercitatio primò lenis , deinde major adhibenda est ; maxime quæ superiores partes moveat : quod genus in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Post exercitationem opus est unctione , frictione , balneo quoque non numquam , sed ratiùs ; interdum alvi ductione. Cibis deinde calidis , neque inflantibus : eodemque modo calidis potionibus , primò aquæ , post ubi resedit inflatio , vini austeri.

Illud quoque in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est , ut quo modo se quisque referat , eodem sanus uratur : nam reddit huic imbecillitas sua , nisi iisdem defenditur bona valetudo , quibus reddita est.

3º. At si inflammatio aliqua est quam ferè tumor & dolor sequitur , prima sunt quies & abstinentia , lana sulfurata circumdata , in jejunio absinthium. Si ardor stomachum urget , is aceto cum rosa subinde fovendus est : deinde cibis quidem utendum est modicis ; imponenda vero extrinsecus quæ simul & reprimunt & molliunt : deinde , his detraictis , utendum calidis ex farinâ

cataplasmatiſ quæ reliquias digerant : interdum
alvus ducenda : adhibenda exercitatio & cibus
plerior.

4º. At ſi exulceratio ſtomachum infestat , ea-
dem ferè facienda ſunt quæ in fauſibus exulcerati
præcepta ſunt. Exercitatio , friſtio inferiorum
partium adhibenda : adhibendi lenes & glutinosi
cibi , ſed citra ſatietalem : omnia acria atque acida
removenda. Vino , ſi febris non eſt , dulci , aut
ſi id inflat , certè leni utendum : ſed neque præ-
frigido neque nimis calido.

5º. Si verò pituita ſtomachus implētur , ne-
ceſſarius modò in jejunio , modò poſt cibum vo-
mitus eſt : utilis exercitatio , geſtatio , navigatio ,
friſtio. Nihil edendum bibendumque , niſi cali-
dum ; vitatis tantum hiſ quæ pituitam contrahere
conſuérunt.

6º. Moleſtius eſt , ſi ſtomachus bile vitiosus
eſt. Solent autem hi qui ſic tentantur , interpoſitis
quibusdam diebus , hanc , & quidem , quod pelli-
mum eſt , atram vomere. His recte alvus duci-
tur , poſtiones ex absinthio dantur ; neceſſaria eſt
geſtatio , navigatio , & ſi fieri potheſt , ex nauſea
vomitū : vitanda cruditas , ſumendi cibi faciles
& ſtomachō non aliéni , viñum auſtērum.

7º. Vulgatissimum verò pelliſimumque ſtomachi
vitium eſt resolutio , id eſt , quum cibi non tenax
eſt , ſoletque deſinere ali corpus , ac ſic tabe con-
ſumi. Huic generi inutiliſſimum balneum eſt :
lectiones exercitationesque ſuperioris partis nece-
ſariae , item unctioſesque friſtioſesque : hinc perfundi
frigidā , atque in eādem natare , canalibus ejus.

dem subjicere stomachum ipsum , & magis etiam
a scapulis id quod contra stomachum est : consi-
stere in frigidis medicatisque fontibus , quales Cu-
ticularum Sumbruinarumque sunt , salutare est .

Cibi quoque assumendi sunt frigidi , qui potius
difficulter coquuntur , quam facile virtuantur . Ergo
plerique qui nihil aliud concoquere possunt , bu-
bulam coquunt . Ex quo colligi potest , neque
venationem , neque piscem dari debere nisi gene-
ris durioris . Potui quidem aptissimum est vinum
frigidum , vel certe bene calidum meracum , po-
tissimum Rheticum vel Allobrogicum aliudve ,
quod & austèrum & resinâ conditum est : si id
non est , quam aspergium , maximèque signi-
num .

Si cibus non continetur , danda aqua , & eli-
ciendus plenior vomitus est ; iterumque dandus
cibus , & tum admovendæ duobus infra stoma-
chum digitis cucurbitulæ , ibique duabus aut tribus
horis continendæ sunt . Si simul & vomitus & do-
lor est , imponenda supra stomachum est lana suc-
cida , vel spongia ex aceto , vel cataplasma quod
refrigeret : perficanda vero non diu sed vehemen-
ter brachia & crura , & calefacienda .

Si plus doloris est , infra præcordia quatuor
digitis cucurbitulâ utendum est : protinus dandus
panis ex posca frigida : si non continuat , post
vomitum leve aliquid ex his quæ non aliena sto-
macho sint : si ne id quidem tenuit , singuli cya-
nhi vini , singulis interpositis horis , donec stoma-
chus consistat .

Valens etiam medicamentum est radiculæ succus ,
valentius

Valentius, acidi punici mali cum pari modo succi qui ex dulci punico malo est, adjecto etiam intubis succo & menthae, sed hujus minimâ parte; quibus tantumdem quantum ex his omnibus est, aquæ frigidæ quam optimè miscetur: id enim plus quam vinum ad comprimentum stomachum prodest. Supprimendus autem vomitus est qui per se venit, etsi nausea est. Aut si coacuit intus cibis aut computruit, quorum utrumlibet ructus ostendit, ejiciendus est; protinusque, cibis assumitis iisdem quos proximè posui, stomachus restituendus. Ubi sublatus est præsens metus, ad cœdeundum est quæ supra præcepta sunt.

SECT. IV. Stomachus lateribus cingitur, atque in his quoque vehementes dolores esse consuerunt. Eorum initium vel ex frigore vel ex iatu vel ex nimio cursu vel ex morbo est. Sed interdum id malum intra dolorem est: isque modò tardè modò celeriter solvit: interdum ad perniciem quoque procédit, oriturque acutus morbus qui *πλευρίτις* a Græcis nominatur. Huic dolori lateris febris & tussis accedit; & per hanc exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emolitur: idque vitio primo gravius, secundo tolerabilius est.

Remedium verò est magni & recentis doloris sanguis missus: at sive levior sive vetustior casus est, vel supervacuum vel serum id auxilium est; configiendumque ad cucurbitulas est, ante summâ cute incisâ. Rechè etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet; & tum medicamentum, quod humorem illuc

citer. Præter hæc , circumdate primùm oportet atus hapso lanæ sulfuratæ : deinde , quum paullum inflammatio se remisit , siccis & calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est.

Si vetustior dolor remanet , novissimè resinā impositā discutitur. Utendum cibis potionibusque calidis : vitandum frigus. Inter hæc tamen non alienum est extremas partes oleo & sulfure perficare : si levata tussis est , leni lectione uti ; jamque & acres cibos & vinum meracius assumere. Quæ ita a medicis præcipiuntur , ut tamen sine his rusticis nostros epota ex aqua trixago satis adjuvet.

Hæc in omni lateris dolore communia sunt : plus negotii est , si acutus quoque morbus is factus est. In hoc , præter ea quæ supra posita sunt , hæc animadvertenda sunt ; ut cibus sit quam maximè tenuis & lenis , præcipueque sorbitio , eaque ex ptisana potissimum , aut jus in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit ; idque non nisi tertio die detur , si tamen per vires licebit : potui verò aqua mulsa , in qua hyssopum aut ruta decocta sit. Quæ quibus temporibus danda sint , ex ratione vel adauctæ vel levata febris apparebit ; sic ut in remissione quam maximâ dentur : cum eo tamen ut sciamus nec esse ejus generis tussi aridas fauces committendas : sæpe enim , ubi nihil est quod exscreetur , continuatur & strangulat. Ob quam caussam dixi etiam pejus id genus esse tussis , quod nihil , quam quod pituitam moveret. Sed hic vinum sorbere , ut supra præcepimus , morbus ipse non patitur ; in vicem ejus tremor ptisanæ sumendus est.

Ut his autem in ipso morbi fervore sustinendus aeger est, sic ubi paullum is se remisit, alimenta pleniora & vini quoque aliquid dari potest; dum nihil detur quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet. Si in refectioне verò manserit tussis, intermittere oportebit uno die; posteróque, cum cibo vini paullò plus assumere. At invalescente quoque tussi, tum non erit alienum, ut supra quoque positum est, vini cyathos sorbere; sed in hoc genere valetudinis, dulce vel certè lene commodius est. Si malum inveteravit, athletico viatu corpus firmaandum est.

SECT. V. A compagine verò corporis ad viscera transeundum est, & in primis, ad pulmōnem ventiendum; ex quo vehemens & acutus morbus oritur, quem πνευμονίαν Graci vocant.

1°. Ejus hæc conditio est: pulmo totus afficitur; hunc casum ejus subsequitur tussis bilem vel pus trahens, præcordiorum togiusque pectoris gravitas, spiritūs difficultas, magna febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes. ID GENUS morbi plus periculi quam doloris habet.

Oportet, si satis validæ vires sunt, sanguinem mittere; sin minores, cucurbitulas sine ferro præcordiis admoyere. Quod si satis valet, gestando ægrum digerere; si parum, intra domum tantum dimovere: potionem autem hyssopi dare, cui fucus arida sit inculta; aut aquam mulsam in qua vel hyssopum vel ruta decocta sit: frictione uti diutissimè in scapulis, proximè ab his in brachiis & pedibus & cruribus; leviter contra pulmonem, idque bis, quotidie facere.

Quod ad cibum verò pertinet, huic nec salsis opus est, neque acribus, neque amaris, neque alvum adstringentibus, sed paullo lenioribus. Ergo primis diebus danda est sorbitio ptisanæ vel alicæ vel oryzæ, cum qua recens adeps costa sit; cum hac sorbile ovum, nuclei pinei, ex melle panis, vel elota alica ex aquâ mulsa. Potui danda deinde non solùm pura aqua, sed etiam mulsa egelida; aut si æstas est, etiam frigida, nisi quid obstat.

Hæc autem altero quoque die, increcente morbo, dare satis est. Ubi incrementum constitit, quantum res patitur, ab omnibus abstinentum est præterquam aquâ egelidâ. Si vires desunt, adjuvandæ sunt aquâ mulsa.

Prosunt quoque adversus dolores imposita calidamenta, vel ea quæ simul & reprimunt & emolliunt. Prodest etiam impositus super pectus sal bene contritus cum cerato mixtus, quia leviter cunctem erôdit, eoque impetum materiæ quâ pulmo vexatur, evocat.

Utile etiam aliquod malagma est ex his quæ materiam trahunt. Neque alienum est, dum premit morbus, clausis fenestrâs ægrum continere; ubi paullum levatus est, ter aut quater die, fenestris aliquantum apertis, parvum aërem recipere. Deinde in refectione pluribus diebus a vino abstinerè; gestatione, frictione uti; sorbitionibus & prioribus cibis adjicere ex oleribue porrum, ex carne unguis, & summa trunculorum atque pisciculos, sic, ut diu nihil nisi molle & lene gumatur.

2º Alterius quoque visceris morbus, id est jecinoris, æquè modò longus, modò acutus esse consuēvit: Ἡπατικὸν Græci vocant. Dextrâ parte sub præcordiis vehemens dolor est; idemque ad latus dextrum & ad jugulum humerumque partis ejusdem pervenit: non numquam manus quoque dextra torpet; horror validus est. Ubi malè est, bilis evomitur; interdum singultus prope strangulat.

Et hæc quidem acuti morbi signa sunt: longioris verò, ubi suppuratio in jecinore est; dolore modò finitur modò intenditur, dextrâ parte præcordia dura sunt & tument, post cibum major spiritûs difficultas est; accedit maxillarum quædam resolutio. Ubi inveteravit malum, venter & crura pedesque intumescunt; pectus atque humeri circaque, & jugulum utrumque extenuatur.

Initio sanguinem mittere optimum est: tum venter solvendus est, si non potest aliter, per nigrum veratrum. Imponenda extrinsecus cataplasma; primum quæ reprimant, deinde calida quæ diducant; quibus recte iris vel absinthium adjicitur: post hæc malagna. Dandæ verò sorbitiones sunt omnesque cibi & calidi & quæ non multum alant, & ferè qui pulmonis quoque dolori convenient; præterque eos qui urinam movent, potionesque ad id efficaces. Utilia in hoc morbo sunt thymum, satureia, hyssopum, nepeta, amyllum, sesamum, amaranthum, lauri bacca, pini flos, herba sanguinalis, mentha, ex malo cotoneo medium, columbae jecus

recens & crudum. Ex quibus quædam per se esse, quædam adjicere vel sorbitioni vel potionis licet: sic tamen ut parcè assumantur. Neque alienum est, absinthium contritum ex melle & pipere, ejusque catapotium quotidie devorare. Abstinendum utique est ab omnibus frigidis: neque enim res ulla magis jecur lædit.

Frictionibus utendum in extremis partibus: vitandus omnis labor, omnis vehementior motus: ne spiritus quidem diutius continentur est. Ira, trepidatio, pondus, jactus, cursus, in hoc inimica sunt. Perfusio corporis multa prodest ex aqua; si hiems est, calidâ; si æstas, tepidâ; itemque liberalis unctio & in balneo sudor.

Si vero jecur vomicâ laborat, eadem facienda sunt quæ in ceteris interioribus suppurationibus: QUIDAM etiam ultra id scalpellô aperfunt ipsam vomicam, vel adurunt.

3°. At lienis, ubi affectus est, intumescit, simulque cum eo pars sinistra quæ & dura est & prementi remittitur; venter quoque intentus est, aliquis etiam cruribus tumor est. Ulcera aut omnino non sanescunt, aut certe cicatricem vix recipiunt: in intentâ ambulatione vel cursu dolor & quædam difficultas est.

Hoc vitium quies auger: itaque exercitatione & labore opus est; habitâ tamen ratione, ne febrem ista, si nimium processerint, excitent. Undiones frictionesque & sudores necessarii sunt. Dulcia omnia inimica sunt, item lac & caseus: acida autem maximè convenientiunt. Ergo acetum acre per se sorbere, & magis etiam quod stilla

conditum est, expedit. Edenda sunt salsamenta, vel oleæ ex muriâ durâ, lactucæ tinctæ in aceto, intubique & betæ ex eodem; & sinapi, asparagus, armoracia & pastinâca: de carnibus verò unguilæ, rostra, aves macræ, ejusdemque generis venatio. Potui verò jejuno dari debet absinthium aquæ incoctum: at post cibum aquâ a ferratio fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit: hæc enim vel præcipue liènem coercet: quod animalversum est in his animalibus quæ apud hos fabros educata exiguo liènes habent.

Potest etiam dari vinum tenuë, austérum; omniaque in cibis & potionibus quæ urinæ movendæ sunt: præcipueque ad id valet vel trifolii semen, vel cumînum, vel apium, vel serpyllum, vel cytisus, vel portulaca, vel nepeta, vel thymum, vel hyssopum, vel satureia: hæc enim inde commodissime videntur humorem educere. Liénis quoque bubulus utiliter esui datur: præcipueque erûca & nasturtium liènem extenuant.

Imponenda quoque extrinsecus sunt quæ levent. Fit.... ex unguentariis glandulis quias μυροβαλανες Græci vocant: fit ex lini & nasturtii semine, quod vinum & oleum adjicitur: fit ex cupresso vitidi & aridâ fico: fit ex sinâpi cui sevi hircini a renibus quarta pars ponderis adjicitur, tekiturque in sale & protinus imponitur.

Multisquoque modis huic rei cappari aptum est: nam & ipsum cum cibo assumere, & mutiam ejus cum aceto sorbère commodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem ejus cum furfuribus, aut ipsum cappari cum

smelle contritum imponere expedite. Malagmat
quoque huic rei aptantur.

4°. At renes ubi affecti sunt, diu male habent:
pejus verò est, si frequens biliosus vomitus accèdit. Oportet conquiescere: cubare molliter: solvere alvum; si aliter non respondet, etiam ducere:
sæpe desidere in aquâ calidâ: neque cibum neque
potioñem frigidam assumere: abstinere ab omnibus
salsis, acribus, acidis, pomis: bibere liberaliter:
adficere modò cibo modò potionis piper,
porrum, ferulam, album papaver: quæ maximè
inde urinam moyere consuērunt.

Auxilio quoque his exulceratis sunt, si adhuc
ulcera purganda sunt, cucumeris semina detra-
ctis corticibus sexaginta, nuclei ex pinu silvestri
quindecim, anisi quod tribus digitis sumi possit,
croci paullum: contrita & in duas mulsi potiones
divisa.

Si verò dolor tantum levandus est, ejusdem
cucumeris semina triginta, iidem nuclei viginti,
nuces Græcae quinque, croci paullulum, contrita
& cum lacte potui data. Ac insuper quoque reæ
quædam malagmata injiciuntur, maximèque ea
quæ humori extrahendo sunt.

SECT. VI. Avisceribus ad intestina veniendum
est, quæ sunt & acutis & longis morbis æquè
obnoxia.

1°. Primo facienda mentio est cholerae; quia
commune id stomachi atque intestinorum vitium
videri potest: nam simul & dejectio & vomitus,
præterque hæc inflatio est. Intestina torquentur,
bilis supra infraque erumpit, primùm aquæ simi-

Iis, deinde ut in eâ recens caro lata esse videatur, interdum alba, non numquam nigra vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc *χολέψαν* Græci nominârunt. Præter ea verò quæ supra comprehensa sunt, sæpe etiam crura manusque contrahuntur, urget sitis, anima deficit: quibus concurrentibus, non mirum est si subitò quis moritur. Neque tamen ulli morbo minore momento succurritur.

Protinus ergo, ubi ista cœpérunt, aquæ tepidæ quâm plurimum bibere oportet & vomere. Vix umquam ea sine vomitu sumitur: sed etiamsi id non incidit, tamen corruptæ miscuisse novam materiam prodest; parsque sanitatis est vomitum esse suppressum. Si id incidit, protinus ab omni potionē abstinentur: si verò tormina sunt, oportet frigidis & humidis fomentis stomachum fovêre; vel si venter dolet, iisdem egelidis, sic ut venter ipse mediocriter calentibus juvetur. Quod si vehementer & vomitus & dejectio & sitis vexant, & adhuc subcruda sunt quæ vomuntur, nondum vino matûrum tempus est: aqua, neque ea ipsa frigida, sed potius egelida danda est: admovendumque naribus est pulegium ex aceto, vel polenta vino aspersa, vel mentha, vel quod secundum naturam est.

At quum discussa cruditas est, tum magis vendendum est ne anima deficiat: ergo tum confiendum est ad vinum. Id esse oportet tenue, odoratum, & cum aquâ frigidâ mixtum, vel polentâ adjectâ, vel infraicto pane, quem ipsum quoque assumere expedite: quotiesque aliquid aut stomachus aut venter effudit, toties per hæc virat.

restituere. Erasistratus primò tribus vini guttis aut quinque aspergendarum potionem esse dixit; deinde paullatim merum adjiciendum. Is, si & ab initio vinum dedit & metum cruditatis secutus est, non sine caussâ fecit: si vehementer infirmitatem adjuvari posse tribus guttis putavit, erravit.

At si inanis est homo, & crura ejus contrahuntur, interponenda potio absinthii est. Si extremæ partes corporis frigent, ungendæ sunt calido oleo, cui cera paullum sit adjectum; calidisque fomentis nutriendæ. Si ne sub his quidem quies facta est, extrinsecus contrâ ventriculum ipsum cucurbitula admovenda est, aut sinapi superimponendum. Ubi (vomitus) is constitit, dormire oportet: postero die utique a potionē abstinere: die tertio in balneum ire: paullatim se cibo reficere somnoque, quisquis facile acquiescit; vitetque laetitudinem & frigora. Si post suppressam cholera m̄ febricula manet, alvum duci necessarium est, tum cibis vinoque utendum. Sed hic quidem morbus & acutus est, & inter intestina stomachumque versatur sic, ut cuius potissimum partis sit, non facilè dicī possit.

2º. In ipsius verò ventriculi portâ consistit is qui & longus esse consuēvit, & κοινωνὸς a Græcis nominatur. Sub hoc venter indurescit, dolorque ejus est; alvus nihil reddit, ac nē spiritum quidem transmittit; extremæ partes frigescunt, diffūlter spiritus redditur.

Commodissimum est inter initia calida catalplasmata toti ventri imponere, ut dolorem leviant: post cibum vomere, atque ita ventrem exi-

manire : proximis deinde diebus cucurbitulas sine ferro ventri & coxis admovere : ventrem ipsum liqueare dato lacte & vino salso frigido ; si tempus anni patitur , etiam viridibus ficis ; sic tamen , ne quis aut cibus aut humor universus detur , sed paullatim . Ergo per intervalla temporis sat est cyathos binos ternosve sumere , & cibum proportione hujus : commodèque facit cyatho lactis cyathus aquæ mixtus & sic datus : cibique inflantes & acres utiliores sunt ; adeo ut laeti quoque rectè contritum allium adjiciatur.

Procedente verò tempore , opus est gestari , maximèque navigare ; perficari ter aut quater die sic ut nitrum oleo adjiciatur ; perfundi aquâ calidâ post cibum ; deinde sinapi imponere per omnia membra , excepto capite , donec arrodantur & rubeant ; maximèque si corpus durum & virile est . Paullatim deinde faciendus est transitus ad ea quæ ventrem comprimunt . Affa caro danda valens , & quæ non facilè corrumpatur : potuī verò pluvialis aqua decocta ; sed quæ per binos ternosve cyathos bibatur.

Si vetus vitium est , oportet laser quam optimum ad piperis magnitudinem devorare : altero quoque die vinum vel aquam bibere , interdum interposito cibo , singulos vini cyathos sorbere : ex inferiore parte infundere aquam pluviale egelidam ; maximèque si dolor in imis partibus remanet .

3°. Intra ipsa verò intestina consistunt duo morbi ; quorum unus in tenuiore , alter in pleu-
niore est . Prior acutus est , insequens esse longus

potest. Diocles Carystius tenuioris intestini morbum χόρδατον, plenioris ἐιλεὸν nominavit: a plerisque video nunc illum priorem ἐιλεὸν, hunc κολικὸν nominari. Sed prior modò supra umbilicum, modò sub umbilico dolorem movet. Fit in alterutro loco inflammatio: nec alvus nec spiritus infra transmittitur. Si superior pars affecta est, cibus; si inferior, stercus per os redditur: si utrumlibet, metus est. Adjicitur periculo, si vomitus biliosus est, mali odoris, aut varius, aut niger est.

Remedium est sanguinem mittere, vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute incisa; id enim duobus aut tribus locis satis est: ex cæteris spiritum evocare abundè est. Tum animadvertere oportet quo loco malum sit: solet enim contra id tumere: & si supra umbilicum est, alvi ductio utilis non est: si infra alvum, ducere interdum, ut Erasistrato placuit, optimum est, & sæpe id auxilii in his partibus magnum remedium est. Dicitur autem, percolato ptisanæ cremore cum oleo & melle, sic ut præterea nihil adjiciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere oportet supra summum ventrem, paullatimque deducere: invenietur enim mali locus, qui necesse est renitatur: & ex eo demum deliberari poserit ducenda necne alvus sit.

Illa communia sunt; calida cataplasma admovere, eaque imponere a mammis usque ad inguina & spinam, ac sæpe mutare; brachia cruraque prefricare; demittere totum hominem in calidum oleum; si dolor non quiescit, etiam in

Ivum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos calidi olei dare. Ubi per hæc consecuti sumus, ut ex inferiore parte spiritus transmittatur, offerre potui mulsum tepidum, non multum: (nam ante magnâ curâ vitandum est ne quid bibat) si id commodè cessit, adjicere sorbitionem.

Ubi dolor & febricula quièrunt, tum demum uti cibo pleniore; sed neque inflante neque valido, ne intestina adhuc imbecilla lœdantur: potui verò nihil præterquam puram aquam offerre. Nam sive quid vinolentum sive acidum est, id huic morbo alienum est. Ac postea quoque vitare oportet balneum, ambulationem, gestationem cæterosque corporis motus: nam facilè id malum redire consuevit: & sive quum frigus subit sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.

4º. Is autem morbus qui in intestino plenior est, in ea maximè parte est quâ cæcum esse proposui. Vehemens fit inflatio, vehementes dolores, dextrâ magis parte: intestinum verti videtur; quod prope spiritum elidit. In plerisque post frigora cruditatesque oritur, deinde quiescit; & per æatem sæpe repetens sic cruciat, ut vitæ spatiis nihil demat.

Ubi is dolor cœpit, admovere sicca & calida fomenta oportet; sed primò lenia, deinde valdiora; simulque frictione ad extremas partes, id est crura brachiaque, materiam evocare. Is si discussus non est, quâ dolet, cucurbitulas sine ferro defigere. Est etiam medicamentum ejus rei caussâ comparatum, quod κολικὸς nominatur; id se ge-

perisse Cassius gloriabatur. Magis prodest potus
datum: sed impositum quoque extrinsecus, dige-
tendo spiritum, dolorem levat.

Nisi finito verò tormento, rectè neque cibus
neque potio assumitur. Quo viatu sit utendum iis
qui hoc genere tentantur, jam mihi dictum est.
Confessio medicamenti, quod κολικὴ nominatur,
ex his constat. Costi, anisi, castorei, singulo-
rum P. IIII. petroselini P. IV. piperis & longi,
& rotundi, singulorum P. V. papaveris lacrymæ,
junci rotundi, myrræ, nardi, singulorum
P. VI. quæ melle excipiuntur. Id autem & devo-
xari potest, & ex aquâ calidâ sumi.

5°. Proxima his inter intestinorum mala tor-
mina esse consueverunt: *duodenitis* Græcè vocatur.
Intus intestina exulcerantur: ex his crux manat;
isque modò cum ftercore aliquo semper liquido,
modò cum quibusdam quasi mucosis excernitur;
interdum simul quædam carnosa descendunt:
frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano
est. Cum eodem dolore exiguum aliquid emit-
tur, atque eo quoque tormentum intrenditur; id-
que post tempus aliquod levatur, exiguae re-
quies est: somnus interpellatur, febricula oritur,
longoque tempore id malum quum inveterave-
rit, aut tollit hominem, aut etiam si finit,
excruciat.

Oportet in primis conquietescere; siquidem om-
nis agitatio exulcerat: deinde jejunum sorbere
vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit
adjecta: imponere cataplasma super ventrem
quæ reprimunt; quod in superioribus ventris mor-

bis non expedit : quotiesque desedit , subluere aquâ calidâ in qua decoctæ verbénæ sint : portulâcam vel coctam vel ex durâ muriâ edisse ; cibos potionesque eas assumere quæ adstringunt alvum.

Si vetustior morbus est , ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptisanæ cremorem , vel lac , vel adipem liquatam , vel medullam cervinam , vel oleum , vel cum rosa butyrum , vel cum eâdem album crudum ex ovis , vel aquam in qua lini semen decoctum sit ; vel , si somnus non accedit , vitellos cum aqua in qua rosæ florifolia cocta sint : levant enim dolorem hæc , & mitiora ulcera efficiunt ; maximèque utilia sunt , si cibi quoque secutum fastidium est. Themison muriâ durâ quâm asperrimâ hîc utendum memoriæ prodidit.

Cibi vero esse debent qui leniter ventrem adstringant : at ea quæ urinam moveant , si id consecuta sunt , in aliam partem humorum avertendo prosunt : si non sunt consecuta , noxam augent : itaque nisi in quibus promptè id facere consuerunt , non sunt adhibenda. Potui , si febricula est , aqua pura calida , vel ea quæ ipsa quoque adstringat , dari debet : si non est , vinum leve austèrum. Si pluribus diebus nihil remedia illa juverunt , vetusque jam vitium est , aquæ bene frigidæ potio assumta ulcera adstringit , & initium secundæ valetudinis facit. Sed ubi venter suppressus est , protinus ad calidam potionem revertendum est.

Solet autem interdum etiam purris sanies pessimique odoris descendere : solet & interdum purus anguis profluere. Si supérius vitium est , alvus

aquâ mulsâ delui debet ; tum deinde eadem infundi , quæ supra comprehensa sunt . Valensque est etiam adversus ulcerâ intestinorum , minii gleba cum salis heminâ contritâ : sin minus , mista his aqua in alvum indatur . At , si sanguis profluit , cibi potionesque esse debent quæ adstringant .

6° . EX TORMINIBUS interdum intestinorum levitas oritur , quâ continere nihil possunt , & quicquid assumptum est , inconfectum protinus reddunt . Id interdum ægros trahit , interdum præcipitat .

In hoc utique adhibere oportet comprimentia , quo facilius tenendi aliquid intestinis vis sit . Ergo & super pectus ponatur sinapi , exulceratâque cute , malagma quod humorem evocet : & ex verbénis decoctâ in aquâ desidat : & cibos potionesque assument quæ alvum adstringunt ; & frigidis utatur perfusionibus .

Oportet tamen prospicere ne , simul his omnibus admotis , vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur : paullatim ergo firmari intestina debebunt , aliquibus quotidie adjectis . Et quum in omni fluore ventris , tum in hoc præcipue , necessarium est , non quoties libet desiderare , sed quoties necesse est , ut haec ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat .

Alterum quoque , quod æquè ad omnes similes affectus pertinet , in hoc maximè servandum est ; ut , quum pleraque utilia insuavia sint , qualis est plantago & rubi & quicquid malicorio mixtum est , ea potissimum ex his dentur , quæ mo-

Nimè æger volet. Deinde , si omnia ista fastidiet , ad excitandam cibi cupiditatem , interponatur ali- quid minus utile , sed magis gratum. Exercita- tiones & frictiones huic quoque morbo necessariæ sunt ; & cum his sol , ignis , balneum , vomitus , ut Hippocrati visum est , etiam albo veratto , si cætera parum proficient , evocatus.

7º. Non numquam autem lumbrici quoque occupant alvum , idque modò ex inferioribus par- tibus , modò , quod fœdus , ore redduntur : at- que interdum latos eos , qui pejores sunt , inter- dum teretes videmus.

Si lati sunt , aqua potui dari debet in qua lu- pīnum aut cortex mori decoctus sit , aut cui ad- jectum sit contritum vel hyssopum , vel piperis acetabulum , scammoneæ paullum : vel etiam pri- die , quam multum allium ederit , vomat. Poste- roque die mali punici tenues radiculos colligat , quantum manu comprehendet ; easque contusas in aqua tribus sextariis decoquat , donec tertia pars supersit ; huic adjiciat nitri paullum , & jejūnus bibat. Interpositis deinde tribus horis , duas po- ziones sumat talis aquæ , vel muriæ duræ huic ad- jectæ ; tum desidat , subiectâ calidâ aquâ in pelve.

Si verò teretes sunt , (qui pueros maximè exer- cent) & eadem dari possunt , & quædam leviora ; ut contritum semen urticæ aut brassicæ , aut cu- mīni cum aqua , vel mentha cum eadem , vel ab- sinthium decoctum , vel hyssopum ex aqua mulsa , vel nasturtii semen cum aceto contritum. Edisse etiam & lupinum & allium prodest , vel in alvum oleum subter dedisse.

8°. Est autem aliud levius omnibus proximis de quibus supra dictum est , quod τερματικὸν Græci vocant. Id neque acutis neque longis morbis annumerari debet , quum facilè tollatur , neque umquam per se jugulet. In hoc æquè atque in torminibus frequens desidendi cupiditas est ; æquè dolor in ano , ubi aliquid excernitur. Descendunt autem pituitæ mucisque similia ; interdum etiam leviter subcruenta ; sed his interponuntur nonnumquam ex cibo quoque rectè cocta.

Desidere oportet in aquâ calidâ ; sæpiusque ipsum anum nutritre. Cui rei plura medicamenta idonea sunt : butyrum cum rosa , acacia ex aceto liquata ; emplastrum id quod τερματικόν Græci vocant , rosâ liquatum ; alumen lanæ circumdatum & intus appositum : eadem quoque ex inferiore partè indita , quæ torminum auxilia sunt , eadem verbena decoctæ , ut inferiores partes foreantur. Alternis verò diebus aquâ , alternis leve & austêrûm vinum bibendum est. Potio esse debet egelida & frigidæ propior : ratio viëtus talis quam ad tormina supra præcepimus.

9°. Levior etiam , dum recens , dejectio est tibi & liquida alvus & sæpius quâm ex consuetudine , fertur : in qua interdum tolerabilis dolor est , interdum gravissimus ; idque pejus est. Sed uno die fluere alvum sape pro valetudine est ; atque etiam pluribus , dum febris absit & intra septimum diem id conquiescat : purgatur enim corpus , & quod intus læsurum erat , utiliter effunditur. Verum spatiū periculosum est : interdum enim tormina ac febribulas excitat , viresque consumit.

Primo die quiescere satis est, neque impetum
veniris prohibere. Si per se desiit, balneo uti,
paullum cibi capere; si mansit, abstinere non so-
lum à cibo, sed etiam a potione. Postero die sā
nihilo minus liquida alvus est, & quē conquiescere,
paullulum adstringentis cibi sumere. Tertio die in
balneum ire; vehementer omnia præter ventrem
perfricare, ad ignem lumbos scapulasque admo-
vēre; cibis uti, sed ventrem contrahentibus; vino
multo meraco. Si postero quoque die fluet, plus
edisse, sed vomere: ex toto donec conquiescat,
contra siti, fame, vomitu niti: vix enim fieri
potest, ut post hanc animadversionem alvus non
contrahatur.

Alia via est, ubi velis supprimere; coenare;
deinde vomere: postero die lecto conquiescere,
vesperē ungi, sed leniter: deinde panis circa selfa
bram ex vino aminao mero sumere, tum assum
aliquid maximēque avem; & postea vinum idem
bibere aquā pluviali mistum, idque usque quin-
tum diem facere, iterumque vomere. Frigidam
autem assiduē potionem esse debere, contra priores
auctores Asclepiades affitivavit, & quidem quam
frigidissimam. Ego experimentis quemque in se
credere debere existimō calidā potius an frigidā
utatur.

Interdum autem evenit, ut id malum pluribus
diebus neglectum curari difficultius possit. A vomitu
oportet incipere; deinde postero die vesperi te-
pido loco ungi, cibum modicum assumere, vinum
meracum quam aspergium; impositam super
ventrem habete cum erato rutam. In hoc autem

affectu corporis , neque ambulatione neque fricatione opus est ; vehiculo sedisse vel magis etiam equo prodest : neque enim ulla res magis intestina confirmat.

Si verò etiam medicamentis utendum est , apertissimum est id quod ex pomis fit . Vindemiæ tempore in grande vas conjicienda sunt pira atque mala silvestria : si ea non sunt , pira Tarentina viridia vel Signina , mala Scandiana vel Amerina , myrapia : hisque adjicienda sunt cotonea , &c cum ipsis corticibus suis punica , sorba , &c , quibus magis utimur , etiam tormalia , sic ut hæc tertiam ollæ parte teneant : tum ea musto implenda est , coquendumque id donec , quæ indira sunt , liquata in unitatem quandam coëant . Id gustui non insuave est : & , quandocumque opus est , assumptum leniter , sine ullâ stomachi noxâ , ventrem tenet . Duo aut tria cochlearia uno die sumsisse satis est .

Alterum valentius genus : myrti baccas legere , ex his vinum exprimere , id decoquere ut decima pars remaneat , ejusque cyathum sorbère . Terzium quod quandocumque fieri potest : malum punicum excavare , exemisque omnibus seminibus , membranas quæ inter ea fuerunt , iterum concidere : tum infundere cruda ova , rudiculaque miscere : deinde malum ipsum super prunam imponere , quod , dum humor intus est , non aduritur : ubi siccum esse cœpit , removere oportet , extractumque cochleari , quod intus est , edisse . Hoc , aliquibus adjectis , majus momentum habet : itaque etiam in id piper album conjis-

citur, misceturque cum sale & pipere, esturque ex his.

Edenda est pulicula etiam, cum qua paullum ex favo vetere coctum sit. Et lenticula cum maliorio cocta, rubique cacumina in aquâ decocta, & ex oleo atque aceto assumta, efficacia sunt: atque ea aqua, in qua vel palmulae, vel malum cotoneum, vel arida sorba, vel rubi decocti sunt, potata. Quod genus significo, quoties potionem dandam esse dico quae adstringat.

Triticī quoque hemina in vino amīnō austero decoquitur, idque triticum jejūno ac sipienti datur; superque id vinum sorbetur: quod jure valentissimis medicamentis annumerari potest. Atque etiam potui datur vinum Signinum, vel resinatum austērum, vel quodlibet austērum. Contunditur quoque cum corticibus seminibusque suis punicum malum, vinoque tali miscetur: idque vel merum sorbet aliquis vel bibit mistum. Sed medicamentis uti, nisi in vehementibus malis supervacuum est.

10°. (*Hic lacuna est*).

SECT. VII. Ex vulvâ quoque feminis vehementis malum nascitur; proximèque ab stomacho vel afficitur hæc vel corpus afficit. Interdum etiam sic exanimat, ut tamquam comitiali morbo prostrernat. Distat rāmen hic casus, eo quod neque oculi vertuntur, nec spumæ profluunt, nec nervi distenduntur: sopor tantum est. Id vitium quibusdam feminis crebro revertens perpetuum est.

11°. Ubi incidit, si satis vitium est, sanguis missus

adjuvat: si patum est, cucurbitulæ tamen defigendæ sunt in inguinibus. Si diutius (ea) auctor jacet aut alioqui jacere consuevit; admovere oportet naribus extinctum ex lucernâ linamentum, vel aliud ex his quæ fædioris esse odoris retuli, quod mulierem exciter. Idem aquæ frigidæ perfusio efficit. Adjuvat quoque ruta contrita cum melle, vel ex cyprino ceratum, vel quodlibet calidum & humidum cataplasma, naturalibus pube tenus impositum. Inter hæc etiam perfri- care coxas & poplites oportet.

Deinde, ubi (ea) ad se rediit, circumcidendum vinum ei est in totum annum, etiam si casus idem non revertitur. Frictione quotidie uten- dum totius quidem corporis, præcipue verò ventris & poplitum. Cibus ex mediâ materiâ dandus: si nápi super imum ventrem tertio quoque aut quarto die imponendum, donec corpus rubeat.

Si durities maner, mollire commode videtur solanum in lac demissum, deinde contritum, & cera alba atque medulla cervina cum irino, aut seym taurinum vel caprinum cum rosa mistum. Dandum poti etiam vel castoreum est, vel git, vel anethum. Si parum pura est, purgatur junco quadrato.

2°. Si verò vulva exulcerata est, ceratum ex rosa fiet: etiam recens suilla adeps & ex ovis album misceatur, idque apponatur; vel album ex ovo cum rosâ mistum, adjecto, quod facilius consistat, contritæ rosæ pulvere. Dolens verò vulva sulfure suffumigari debet.

At si purgatio nimia mulieri nocet, remedio

sunt CUCURBITULÆ, cute incisâ, inguinibus vel etiam sub mammis admotæ. Si maligna purgatio est, subjicienda sunt (*** *Desunt in vetustissimo exemplari folia duo.*) coërcentia. Id faciunt etiam albæ olivæ, nigrum papâver cum melle assumentum, & gummi cum trito semine apij liquatum, & cum cyatho passi datum.

3º. Præter hæc, in omnibus vesicæ doloribus, idoneæ potiones sunt quæ ex odoribus fiunt, id est, spicâ nardi, croco, cinnamomo, casia similibusque. Idem etiam decocta lentiscus præstat. Si tamen intolerabilis dolor est, & sanguis profluat, etiam sanguinis detractio apta est, aut certè coxis admotæ cucurbitulæ, cute incisâ.

4º. At quum urîna super potionum modum minitur, & jam sine dolore profluens maciem & periculum facit; si tenuis est, opus est exercitatione & frictione, maximèque in sole vel ad ignem. Balneum rarum esse debet, neque longa in eo mora; cibus comprimens, vinum austèrum merâcum, per æstatem frigidum, per hiemem egelidum; sed tantum, quantum minimum sitim finiat: alvus quoque vel ducenda vel lacte purganda est. Si crassa urîna est, vehementior esse debet & exercitatio & frictio, longior in balneo mora: cibis opus est teneris: vinum idem. In utroque morbo vitanda omnia sunt quæ urînam mox consuérunt.

5º. Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis: quod sine venere sine nocturnis imaginibus sic fertur, ut, interposito spatio, habe hominem consumat.

In hoc affectu salutares sunt vehementes frigides, perfusiones natationesque quam frigidissimæ; neque cibi, nec potio, nisi frigida assumta. Vitare autem oportet cruditates & omnia inflantia; nihil ex his assumere quæ contrahere semen videntur; qualia sunt, siligo, simila, ova, alica, amygdala, omnis caro glutinosa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neque alienum est fovere inferiores partes aquâ decoctâ ex verbénis comprimentibus; ex iisdem aliqua cataplaasmata imo ventri inguinibusque circumdare, præcipue ex aceto rutam; vitare etiam ne supinus dormiat.

SECT. VIII. Supereft ut ad extremas partes corporis veniam, quæ articulis inter se conseruntur; initium a coxis faciam.

19. Harum ingens dolor esse consuevit, isque hominem sâpe debilitat, & quosdam non dimitit: eoque id genus difficillimè curatur, quod ferè post longos morbos vis pestifera huc se inclinat; quæ ut alias partes liberat, sic hanc ipsam quoque affectam prehendit.

Fovendum primum aquâ calidâ est: deinde utendum calidis cataplasmatis. Maximè prodesse videtur, aut cum hordeaceâ farinâ, aut cum fico ex aqua decoctâ mixtus capparis cortex consistens; vel loli farina ex vino diluto cocta & mixta cum aridâ fæce: quæ quia refrigescunt, imponere noctu malagmata commodius est. Inulae quoque radix contusa, & postea ex vino austero cocta, & late super coxam imposita, inter valentissima auxilia est.

Si ista non solverunt, sale calido & humido utendum

utendum est. Si ne sic quidem finitus dolor est, aut tumor ei accedit, incisâ cute, admoveundæ sunt cucurbitulæ: movenda urina: alvus, si compressa est, ducenda. Ultimum est, & in uteri quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, CUTEM carentibus ferramentis exulcerare. Frictione quoque utendum est, maximè in sole & eodem die sæpius: quo facilius ea quæ coëndo nocuerunt, digerantur: eaque, si nulla exulceratio est, etiam ipsis coxis; si est, cæteris partibus adhibenda est.

Quum verò sæpe aliquid exulcerandum carenti ferramento sit, uti materia inutilis evoceatur, illud perpetuum est, non, ut primum fieri potest, hujus generis ulcera sanare; sed ea trahere donec id vitium cui per hæc opitulamur, conquiescat.

2°. Coxis proxima genua sunt: in quibus ipsis non numquam dolor esse consuēvit. In iisdem autem cataplasmati cucurbitulisque præsidium est, sicut etiam quum in humeris aliisve commissuris dolor aliquis exortus est. Equitare ei cui genua dolent, inimicissimum omnium est. Omnes autem ejus modi dolores, ubi in veteraverunt, vix citra ustionem finiuntur.

3°. In manib; pedibusque articulorum vitia frequentiora longioraque sunt, quæ in podagrī chiragrisve esse consuérunt; EA RARO vel castratos vel pueros ante feminæ coitum, vel mulieres, nisi quibus menstrua suppressa sunt, tentant.

Ubi sentiri cœperunt, sanguis mittendus est;

K

id enim inter initia statim factum , s^ep^ee annuam , non numquam perpetuam valetudinem bonam pr^aefstat. Quidam etiam , quum asinino lacte epoto ex toto se eluissent , in perpetuum hoc malum evaserunt ; quidam , quum toto anno a vino , mulso , venere sibi temperassent , securitatem totius vitae consecuti sunt : idque utique post primum dolorem servandum est , etiam si qui^evit. Quod si jam consuetudo ejus facta est , potest quidem aliquis esse securior his temporibus quibus dolor se remisit ; majorem verò curam adhibere debent hi quibus id revertitur ; QUOD FER^E VERE autumno fieri solet.

Quum verò dolor non urget , mane gestari debet , deinde ferri , aut inambulatione levi se dimovere ; & si podagra est , interpositis temporibus exiguis , in vicem modò sedere modò ingredi ; tum ante quām cibum capiat , sine balneo loco calido leviter perficari , sudare , perfundi aquā egelidā : deinde cibum sumere ex mediā materia , interpositis rebus urinam mouentibus , quo^tiesque plenior est , evomere.

Ubi dolor vehementer urget , interest sine tumorē is sit , an tumor cum calore , an tumor jam etiam occalluerit. Nam si tumor nullus est , calidis fomentis opus est. Aquam marinam vel muriam duram servefacere oportet , deinde in pelvem conjicere , &c , quum jam homo pati potest , pedes eò demittere superque pallam dare , & vestimento tegere : paullatim deinde juxta labrum ipsum ex eadem aqua leviter infundere , ne calor

intus destituat; ac deinde nocte cataplasma **ca-**
lefacentia imponere, maximèque hibisci radicem
ex vino coctam.

Si verò tumor calorque est, utiliora sunt refri-
gerantia, **RECTÉQUE** in aquâ quam frigidissimâ
articuli continentur; sed neque quotidie, neque
diu fit, ne nervi indurescant. Imponendum verò
est cataplasma quod refrigeret: neque tamen in
hoc ipso diu permanendum, sed ad ea transun-
dum, quæ sic reprimunt ut emollient. Si major
est dolor, papaveris cortices in vino coquendi,
miscendique cum cerato sunt quod ex rosâ factum
sit: vel ceræ & adipis suilla tantumdem unâ li-
quandum, deinde his vinum miscendum, atque
ubi quod ex eo impositum est incaluit, detra-
hendum & subinde imponendum aliud est.

Si verò tumores etiam occaluerunt & dolent,
levat spongia imposita, quæ subinde ex oleo vel
aceto vel aquâ frigidâ exprimitur; aut pari por-
tione inter se mista, pix, cera, alumen.

Sunt etiam plura idonea manibus pedibusque
malagmata. Quod si nihil superimponi dolor pa-
titur, id quod sine tumore est, fovere oportet
spongiam quæ in aquam calidam demittatur, in
qua vel papaveris cortices, vel cucumeris silve-
stris radix decocta sit; tum inducere articulis cro-
cum cum succo papaveris & ovillo lacte.

At si tumor est, foveri quidem debet aquâ
egelidâ, in qua lentiscus, verbena, aliave ex
reperimentibus decocta sit: induci verò medica-
mentum ex nucibus amaris cum aceto tuitis; aut

ex cerussâ cui contritæ herbæ muralis succus sit adjectus. Lapis etiam qui carnem edit, quem *σαυκοφάγον* Græci vocant, excisus sic ut pedes capiat, demissos eos, quum dolent, retentosque ibi levare consuevit. Ex quo in Asiâ lapidi Asio graria est.

Ubi dolor & inflammatio se remiserunt, quod intra dies quadraginta fit, nisi vitium hominis accessit, modicis exercitationibus, abstinentia, unctionibus lenibus utendum est, sic ut etiam cum acopo, vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. Equitare podagrīcī quoque alicuum est.

Quibus verò articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos ante & curioso vietu cavere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, & crebriore vomitu; & si quis ex corpore metus est, vel alvi ductione uti, vel lacte purgari. Quod Erasistratus IN PODAGRICIS expulit; ne in inferiores partes factus cursus pedes repleret: quum evidens sit omni purgatione non superiora tantum modo, sed etiam inferiora exinaniri.

C A P U T S E C U N D U M.

Ex quocumque autem morbo quis invalescit, si tardè confirmatur, vigilare primâ luce debet; nihil minus in lecto conquiescere: circa tertiam horam leyiter unctis manibus corpus permulcere. Deinde delectationis caussâ, quantum juvat, ambulare, omni circumcisâ negotiosâ cogitatione

vel actione : tum gestari diu : multâ apiratione
uti : loca , cœlum , cibos sæpe mutare. Ubi tri-
duo quatriduove vinum bibt , uno aut etiam al-
tero die interponere aquam. Per hæc enim fier-
ne in vitia tabem inferentia incidat , & ut ma-
ture vires suas recipiat. Quum verò ex toto con-
valuerit , periculosevitæ genus subitè mutabit
& inordinate ager. Paullatim ergo debet , omis-
sis legibus , eò transire , ut arbitrio suo vivat.

